



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

X. Deuteronomio,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

vidi posse puto, ita ut pars prior ad Christum, posterior ad Davidem referatur. Cuiusmodi multa vaticinia bipertito interpretanda in sacris Libris occurrunt. Ut ut est, hæc certe Balaami prædictio, atque item illa Jacobi Patriarchæ, tam perspicua Origini visæ sunt, ut alias quidem in Lege typice & obscure Christum præsignificantes reperire se posse diceret, quæ vero duabus hæc manifestiores essent, apud Mosem extare profus nullas.

Orig. in Jobi  
Tom. 14.

X. Verumtamen clara hæc quoque sunt è Deuteronomio: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti, Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, Bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba tua in ore ejus, loquenturque ad eos omnia que præcepere illi. Qui autem verba ejus, que loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Variè hæc interpretantur Judæi: quidam, quorum princeps Aben Ezra, Josuam Mosis successorem designatum volunt; Davidem Herbanus Judæus in Disputatione cum Gregentio; alii Jeremiam, qui populum iisdem, quibus Moses, verbis & argumentis adhortabatur; Kimchi & Jarchi, omnes Prophetas, atque ita numero singulari vim *οὐδὲν ἴστω* tribuunt. Nos uni Christo convenire ea statuimus, Petri & Stephani auctoritate ducti, qui ad publicos Judæorum conventus verba facientes Christi venturi prædictionem his contineri declarant. Quod profecto non fecissent nisi id jam vulgata & tralatitia persuasione creditum Judæis esse scissent. Cum præsertim in Midrasch Ecclesiastæ prædictionis sententia reperiatur his concepta verbis: *Qualis primus Redemptor, talis Redemptor postremus.* Et res ipsa id suadebit, si introspexerimus. Nam si stamus verbis, neque vim facimus sententiæ, unicus Propheta exiturus hic prædicitur, non plures: deinde quominus Prophetarum aliorum quemquam Mosis similem fuisse dicamus, ista obstant è postremo capite Deuteronomii: *Et non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moses.* Itaque Rabbiorum doctissimus & solertissimus Maimonides, tum in suis Misnæ Explanacionibus, tum & in libro Jad, quatuor rebus Mosis Prophetiam & miracula illis Prophetarum reliquorum excellere docet. Quod & deinde iteratim More Nevochim, ex quo libro idonea multa ad complures Scripturæ sacræ solvendo nodos subsidia comparari possunt. Jesum autem inter & Mosem quanta intercesserit similitudo, fuisse docet Eusebius libro Demonstrationis tertio, accurata inter utrumque instituta comparatione. Merito ergo Eulogius Alexandrinus Episcopus coacta Alexandriæ Synodo, & excussa Samaritanorum controversia super hoc prædicto Deuteronomii, quod alii Josuæ, alii Dositheo Samaritano accommodabant, utramque damnavit sententiam, & Jesum Christum illic notatum esse definivit, ut ex ejus libris refert Photius. Non alio autem respexisse videtur Aggæus, quam ad hunc Deuteronomii locum, cum dixit: *Verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti, & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. . . . . Et movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.*

Deuteronomio.  
Deut. 18. 15, &  
seq.

Act. 1. 22; &  
7. 57.

Deut. 34. 10.

Phot. Cod. 119.  
Agg. 1. 7, 8.

Libro Josue;

XI. Eximia in Josua constat Christi effigies. Ut ille successit Mosis, ita Mosaicæ Legi Messia lex suffici debuit: ut Josue Israëliticæ genti præfuit, cum ad præliandum procederent, ita Messia ductu magna bella se feliciter confecturos sperant Judæi: ut errantes & extorres Israëlitas in promissam Chanaanitidem terram induxit Josue; ita per Messiam se Judæi in avitas sedes restitutum iri confidunt. Multo plura vero nos Christiani in Jesu Messia nostro signa ac notas reperimus, quibus Josuæ consimilis est: verum eas in Propositione nona colligemus. Hic vero forsitan mirabitur Lector, quæ causa sit cur cum septima hac Propositione ostendendum tantummodo susceperim multas inesse Veteri Testamento prophetias de Messia, nondum vero probare aggressus sim Jesum esse Messiam, hanc tamen disputationem velut in antecessum & ante constitutum tempus delibem. Sciat autem ille duplici modo spectari posse Christum Jesum, vel tanquam Christum, eum videlicet cui hoc à Deo munus impostum sit, nulla personæ ipsius ratione habita, vel tanquam Jesum, certum hunc nempe hominem, his prognatum parentibus, hac ortum patria, hoc tempore natum, qui se Christum ferens hæc atque illa præstitit, atque hæc demum morte interiit. Hæc nos Propositione nona persequemur. Nunc vero ea tantum observamus in Jesu, quæ ad Messia munia pertinent. Is cum se Messiam esse, atque has sibi partes à Deo fuisse datas palam profiteretur, ea haud dubie gessit, quæ à Messia, juxta Prophetarum prædictiones, gerenda esse, non credidit solum, sed & omnes credere scivit. Hæc si vaticiniis Prophetarum consentiunt, recte concludimus utique haberi in Veteri Testamento prophetias de Messia. Cum improbissimus ille planus Ben Cuziba Messias haberi vellet, Bar-Cochebam se nomine dixit, hoc est, Filium stellæ, quod